

apercius senciatis^a dolorem, ne ducatis indignum audire meum quem parabolice induco sermonem.

Vir iunior etate duxit sibi sponsam omni libertate perspicuam, quam in eadem libertate fovit et tenuit annis XXXV et mensibus V; et ecce derepente consurgens quidam ferox adversarius dicit sponso iam seni: Servus michi eris, quia sponsa tua in ancillam competit mihi. Cui sponsus, quondam iuvenis, modo vetulus, respondet: Cum patrum tuorum nullus umquam mei sit dominatus, unde tibi hoc, ut mei domineris? Ille tumide ait: Industria mea adquisivi te nec poteris resistere, quoniam Romanus papa iugo meo supposuit colla tua. Cui inquit^b: Si dominus papa iugum tuum inposuit collo meo, adhuc est in spe, nec est in re; certus sum enim, quod ignorans fecit; inde restat, ut excurram ad domnum papam et, utrum ita sit, discutiam. Sthomacatus ille ait: Tu discuties moribunde? iam alitum trahis extremum et requires curiam Romanorum? Ille ait: Plane de mendaciis tuis arguam te et dolos excogitados in presencia Romanorum statuam ante faciem tuam.¹ Hucusque parabola, quam sequitur explanacio verisimillima.

Vir iunior ducens sponsam signat abbatem de Aldenborgh, qui etate quidem iunior promotus est canonice in officium abbatis, libere quidem et absolute, id est sine fuco et macula alicuius contradictionis. Denique XXXV^{to} ordinationis eius anno surrexit domnus abbas sancti Medardi Suessionensis, instigatus tam proprio zelo quam duorum clericorum Rodulphi^c et Goduini insidioso dolo, et impetravit a Romano papa obliquas litteras, quibus abbas Aldemborgensis urgeretur exire de loco suo. Papa vero non advertens in hoc quippiam doli nec estimans abbatem sancti Medardi sibi velle mentiri dedit litteras postulas, que delate^d sunt abbati Aldenborgensi prima die mensis Augusti.² Senciens et cernens ille importunitatem et maliciam tante fraudis properanter cucurrit ad presentiam domni pape Innocentii et facunda veritate denudavit exquisita contra se machinamenta abbatis Suessionici. Quibus auditis misericors papa utrisque condoluit, sed dissimiliter: nam Aldenborgensi de sua iniusta fatigacione, Suessionico condoluit, quod cor eius hostis³ antiquus tanta potuerit obligare fraudis nimietate.

^a) *sensiatis*.

^b) *inquit*.

^c) *Bodulphi*.

^d) *delati*.

¹) Ps. 49, 21 und 34, 20.

²) 1140.

³) Vgl. Esth. 14, 13.